



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Boetica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66816)

# P R O V I N C I A B O E T I C A .



Luit hæc Prouincia socios trecentos  
& septuaginta sex. In Hispalensi Do-  
mo sexaginta. decem minus in Hispa-  
lensi Collegio. In Cordubensi sex &  
sexaginta. In Granatensi quinquagin-  
ta. quinque plures in Montelano. In  
Marcenensi quattuordecim. In Vaezano quinque &  
viginti. In Malacensi decem. In Gaditano quindecim,  
In Triguerensi vnde viginti, & in Zerenſi duodecim;  
tres porro in Eccizam miſi ſunt. Societatem auxere  
triginta & eo amplius. Sex autem obierunt.

Iam ſi à communibus diſcedatur, hæc ferme erunt  
quæ de vniuerſa Prouincia ſcribi poſſint. Cordubæ  
antequam in æde ſua Epiſcopus primo ſuo aduentu  
Miſſarum ſolemnia celebraret, in Collegium noſtrum  
ad octauum vſque diem ſeſe recepit, vbi vitam omnẽ  
anteactam per confeſſionem expiauit. Granatæ nunc  
primum apertæ ſunt ſcholæ, eaq. in ipſo ſuo ortu au-  
ditores numerat quadringentos. In Collegio Mala-  
cenſi cum alijs temporibus, tum peſtilentiæ tempore,  
quæ vehemens hic fuit, ſociorum virtus enituit. Cumq.  
non facile inueniretur, qui homines peſtilentia fædos  
aut audirent conſitentes, aut ſubleuaret egentes; hanc  
ſibi curam noſtri magna tum ciuitatis approbatione  
tum animarum vtilitate ſumpſerunt. Atque id ipſum  
à Gaditano & à Zerenſi Collegio factum eſt. Nec  
deſunt huic Prouinciæ ſui benefici, qui preces noſtras  
pro

pro suis in nos meritis exigant. Dux Medinensis Hispalensi Collegio areæ, & aquæ modum mille circiter aureorum pretio dono dedit; Nec minus ab alijs benigne factum est Montelano, Vaezanoq. Collegijs, cuius viriusque reditus aureis ferme trecentis amplificati sunt. Ex Hispalensi Collegio decem duodecimue è nostris auditoribus ad nostrum numerum accesserunt. Ex hac Prouincia alij alio animarum causa missi sunt qui cum omnes proximis vtilitati fuerunt, tum ij, qui in Eccizensi oppido laborarunt. Ciuitas vniuersa Societatis desiderio à Rege contendit, vt constituendi collegij causa quorundam sibi pascuorum fructus confirmaret, quod cum impetratum esset à Rege, diem festum egit augustissimo Iesu nomini, omnesque ordines ac Magistratus gratulantes ad nos venerunt.

